



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Impius in parentes vel alios quoscunq[ue) vitiosus est & peccator.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

ria irrogatur) peccatum ex suo genere mortale æ valde graue est, contra primum præceptum secundæ tabulæ. Potest autem sicut & similia peccata dupliciter incurri scilicet formaliter, vel materialiter. Appellatur autem & est impietas formaliter, quia ex intentione contra patrem vel patrum &c. committitur vel committitur: ut quum quis inhonorat patrem ut inhonoret, hoc est animo inhonorandi patrem aut nocet consanguineo ut noceat consanguineo, hoc est animo nocendi consanguineo, offendit conciuem ut offendat conciuem: detrahit patriæ beneuolo, ut detrahat patriæ beneuolo. Et hoc est propriè crimen impietatis, & est mortale ex suo genere: utpote contra dilectionem debitam parentibus & patriæ. Contingit tamen peccatum hoc esse veniale propter imperfectionem actus: vel ex parte primi motus, ad omittendum vel committendum contra patrem aut patriam. vel ex parte materiæ: puta minimæ omissionis aut commissionis, tanquam pro nihilo computatæ.

Alio modo incurritur impietas materialiter, quando scilicet offenditur pater vel patria, aut consanguineus, aut conciuis, sed non contemnendo beneficium seu vinculum sanguinis & patriæ. sed propter alias passiones, ut accidit. Et sic impietas materialiter inuenitur in multis generibus peccatorum, quibus proximi offendi possunt. Et est circumstantia illius peccati, quo consanguineus aut conciuis offenditur, mortalis vel venialis iuxta naturam commissi vel omissi, ita quod si commissum in consanguineum est mortale, ipsa quoque materialis impietas est mortalis. Spectat tamen hæc circumstantia ad speciem illius peccati quo offenditur ille qui est consanguineus &c. quia habet idem motiuum. Et ideo fac de hac circumstantia iudicium, quod est de ingratitude: quia eadem est utrobique ratio.

Pecca-